

A iustitiae redditum est, sed gratuito datum. Cooperant enim nonnulli qui ex Iudeis crediderant, tumultuari aduersus gentes, & maxime aduersus Apostolum Paulum, quod incirculos & a legi veteris vinculis liberos admittebat ad Euangelij gratiam, predicans eis ut in Christum crederent, nullo imposito carnis circumcisionis iugo. Sed plane tanta moderatio, ut nec Iudeos superbiere permittat, tanquam de meritis operum legis: Nec gentes merito fidei aduersus Iudeos inflati, quod ipsi receperint Christum quem illi crucifixerunt: tanquam enim, sicut alio loco dicit, pro ipso domino legatione confungens, hoc est, pro lapide angulari, utrumque populum tam ex Iudeis quam ex gentibus conseruat in Christo per vinculum gratiae, utrique auserens omnem superbiam meritorum, & iustificandos utrosque per disciplinam humilitatis afficians. Itaque Epistolam sic excorius est, Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium dei. Breuiter in duabus verbis Ecclesiae dignitatem a synagogae vetustate discernit. Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, synagoga vero ex congregatione. Conuocari enim magis hominibus concurrit, congregari autem magis pecibus, unde greges proprie pecorum dici solent. Quanquam ergo plerisque scripturam locis ipsa Ecclesia grex dei, & ouile dei & pecus dei vocatur: tamen quum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinet. Et appareat huiusmodi homines, non cibo sempiternae veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos. Paulus ergo seruus Christi Iesu votatus est Apostolus, quae vocatio illum cooptauit Ecclesia. In Euangelium autem dei segregatus est, unde nisi a gregi synagoga, si verborum Latinorum significatio omnimodo cum Graeca interpretatione

Non concordat.

concordat: Sane Euangelium dei in quo segregatus esse esse commemorat, commendat authoritate prophetarum: ut quoniam credentes Christo, in quoru numero vocatus est, Iudeis praesuperierat, a quibus se tixerat segregatum, gentes rursus iam non superbiere admoneat. Siquidem de populo Iudeorum fuerit Prophetae, per quos Euangelium, cuius fidei credentes iustificantur, ante promillium esse testatur. Segregatus enim, inquit, in Euangelium dei quod ante promiserat per prophetas suos. Fuerint enim & Prophetae non ipsi, in quibus etiam aliqua inveniuntur

C tur que de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur: quod non facile credere, nisi quod poëtarum quidam, in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione seculi, quae in dominii nostri Iesu Christi regnum satis concinre & conuenire videantur, præpoluit verbum dicens,

Elog. 4

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas. Cum autem Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Scies ergo Apostolus ea in libris gentium inueniri testimonia veritatis, quod etiam in Actibus Apostolorum loquens Atheniensibus manifestissime ostendit. Non solum at per prophetas suos, ne quis a pseudoprophetis per quædam veritatis confessiones in aliquam impietatem seduceretur, sed addidit etiam in scripturis sanctis: volens vtique ostendere literas gentium superstitionis idololatriæ plenissimas, non ideo sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid quod ad Christum pertinet inuenitur. Et ne quisquam etiam Prophetas aliquos remotos, atque alienos a gente Iudeorum forte præferret, in quibus nullus simulachrorum cultus esset, quantum attinet ad simulachra quæ humana operari manus, Nam simulachris phantasmatum suorum sectatores suos omnis error illudit. Ne quis tamen aliqua huiusmodi præferens, quia ibi Christi nomen ostentat, eas potius sanctas scripturas esse asserat, non eas quæ populo

Col. 4.

Hebraeorum sunt diuinatus creditæ, satis oportune D imbi videtur adiungere, cum dixisset, In scripturis sanctis, quod adiecit, de filio suo qui factus est ei ex semine David, secundum carnem. David enim certe rex Iudeorum fuit. Oportebat autem ut ex illa gente orientur Christi prænuntiatores Prophetæ, ex qua gente carnem assumptur? erat quem prænuntiabant. Occurrentum autem erat etiam illorum impietati, qui dominum nostrum Iesum Christum secundum hominem tantummodo quem suscepit, ac cipliunt: diuinitatem autem in eo non intelligunt ab uniuersæ creaturae communione discretam: velut ipi Iudei, qui Christum filium David tantummodo esse opinabantur, ignorantes excellentiam qua dominus est ipsius David, secundum id quod est filius dei. Unde illos in Euangelio redarguit per prophetam quæ ipsi David ore prolatæ est. Quærerit enim ab eis, quæ ipse David dominum appellat, quomodo filius eius sit? Cum deberent utique respondere, quod secundum carnem filius esset David, secundum diuinatem autem filius dei & dominus ipsi David. Quod Paulus Apostolus quia iam didicerat, posteaquam dixit, in Euangelium dei quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est ei ex semine David: addidit, secundum carnem: ne hoc solum & totum in Christo esse arbitrarentur, quod factum erat secundum carnem. Adendo ergo, secundum carnem, eruavit diuinitatem dignitatem suam. Quæ non soli semini David, sed nec aliam angelicam aut ciuius excellentissimæ creaturæ generationi tribui potest, quandoquidem ipsum est verbum dei, per quod facta sunt omnia. Quod verbi ex semine David caro factum est, & habitavit in nobis, non mutatum & conuersum in carnem, sed carne ut carnibus congruenter appareret idutum. Quia propter Apostolus non solum eo verbo patit, secundum carnem, humanitatem a diuinitate diffinxit: sed etiam illo quo ait, factus est. Non est enim factus secundum id quod verbum dei est, Omnia enim per ipsum facta sunt. Nec fieri cum omnibus posset per quæ facta sunt omnia. Nec ante omnia factus est, ut per ipsum fierent omnia: Ipso enim excepto, si ante illa iam factus esset, non essent illa omnia quæ per illum fierent: nec possent vere dici facta omnia per ipsum in quibus ipse non esset, si ipse etiæ factus esset. Et ideo Apostolus cum factum diceret Christum, addidit, secundum carnem: ut secundum verbi quod est filius dei, non factum a deo, sed natum esse monstraret. Eodem sane ipsum qui secundum carnem factus est ex semine David, prædestinatus dicit filium dei, in virtute: non secundum carnem, sed secundum spiritum: nec quemlibet spiritum, sed spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. In resurrectione enim virtus morientis appetit, ut dicetur prædestinatus in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Deinde sanctificatio vitam nouam fecit, quæ in dominii nostri resurrectione signata est. Unde idem Apostolus alio loco dicit, Si cosurristis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens. Potest quidem etiam sic esse ordo verborum, ut non a spiritu sanctificationis adiungamus quæ ait, ex resurrectione mortuorum: sed ad id quod ait, prædestinatus est: ut ordo sit, qui prædestinatus est ex resurrectione mortuorum: cu' ordinis interposita sunt hæc. Filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Et numerum iste ordo certior & melior visetur, ut sit filius David in infirmitate secundum carnem, filius autem dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Factus est ergo ex semine David, id est, filius David ex mortali corpore, propter quod & mortuus est. Prædestinatus est autem filius dei, & dominus ipsius David ex resurrectione mortuorum. In qua